PROBLEMATA MEDICA DE INFANTIUM ET PUERORUM MORBIS:

Solennis exercitij gratia in almâ Argentoratenſium Vniuerſitate propoſita

à

MELCHIORE SEBIZIO,
MEDICINAE DOCTORE ET PROFESSORE, COMITE PALATINO
Cæſareo, ac Reipubl. Archiatro:

Reſpondente

GEORGIO GODOFREDO ZILLINGER,
VIENNENSI AUSTRIACO.

Die 1. Menſis ~~Januarij~~ Febr.

ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. XLIX.

VIRIS
GENERIS NOBILITATE,
*AMPLITVDINE, PRVDENTIA, AVTHO-
ritate, Experientia, variaq; Virtute & rerum uſu
clariſsimis, ſpectatiſsimis,*

DN. GEORGIO SNOILSKY, Reg. Suec. Majeſt. Conſiliario, & per Alſatiam Agenti digniſſimo, Fautori & Promotori ſuo, omni honoris & obſervantiæ cultu æternùm proſequendo, ſuſpiciendo:

DN. EBERHARDO GUILIELMO SNOILSKY, Medicæ artis peritiſſimo, Patrono ſuo ſumma animi obſervantia colendo:

DN. JOACHIMO SPINDLERO, Civi Primario, & Mercatori apud Poſonienſes integerrimo, Affini ſuo apprimè honorando:

Γύμνασμα hoc Medicum,
&
ſtudiorum ſuorum primitias

In

Grati animi σημεῖον,
Debitæ obſervantiæ τεκμήριον,
Syncerique affectus σύμβολον,

offert atque conſecrat
veſtri colendiſſimus

GEORGIUS GODOFREDUS

PROBLEMA I.

Recténe Medici morbos in pueriles, juveniles, viriles & ſeniles diſtribuant?

MOrborum differentiæ duplices ſunt, eſſentiales & accidentales. *Illæ à morbi eſſentia, h.e. à conſtitutione partium præter naturam, hæ à rebus variis, variisque circumſtantiis deſumuntur.*

Conſtitutio autem partium eſt triplex: prima eſt in ſimilaribus: ſecunda in diſsimilaribus: tertia in utriſque.

Naturalis ſimilarium partium conſtitutio conſiſtit in moderatione & συμμετρίᾳ qualitatum: diciturque ἐυκρασία. Hæc enim illarum eſt ſanitas.

Naturalis diſsimilarium diſpoſitio poſita eſt in legitima conformatione, h. e. decenti figura, meatibus & cavitatibus debito modo ſe habentibus, & ſuperficiei convenienti lævitate, & aſperitate: in juſta item magnitudine: congruente numero: ſitu apto atque idoneo: denique in naturali connexione, ſive cohæſione, & diſiunctione. Talis namque diſpoſitio earum ſanitas eſſe ſtatuitur.

Naturalis denique utrarumque conſtitutio eſt συνέχεια, ſive ἕνωσις, continuitas, ſeu unitas. Nam hæc quoque ad ſanitatem iſtarum partium requiritur.

Ex quibus conſequitur, ſimilarium partium conſtitutionem præter naturam ſitam eſſe in δυσκρασίᾳ, intemperie: diſsimilarium in mala compoſitione: utrarumque in continui ſolutione: ac propterea tres eſſe morborum differentias eſſentiales, ſimilares, diſsimilares, & utriſque partibus communes.

 Acci-

Accidentales *autem ſunt plurimæ , & inter illas locum quoque habet ea, quæ ab ætate deſumitur.*

Petuntur enim illæ etiam à ſexu, ab anni tempore, ab eventu, à duratione, ab origine, à cauſis, à ſubjecto, à modo exiſtendi, à magnitudine, à more, qui vel benignus, vel malignus eſſe dicitur, ab ordine periodorum, à vehementia, ab effectis, à rebus äliis.

Itaque meritò concludimus, Medicos rectè morbos ratione ætatis in pueriles, juveniles, viriles & ſeniles diviſiſſe, hacque diviſione accidentalem aliquam nobis differentiam tradidiſſe. AEtas enim de natura & eſſentia morbi non eſt, ſed ſubjectum, in quod morbus cadit.

II.

Quid hic per Pueros inaudiendum?

HOc *facilè cognoſcitur, ſi artis Dictatores,* Hippocrates *&* Galenus, *conſulantur.*

Is enim ſect. 3. aphor. 24. 25. 26. & 27. *per pueros non fœtus adhùc in utero exiſtentes, quos quidem etiam* παῖδας, παιδάρια καὶ παιδία, *propriè verò* κυήματα, ἔμβρυα καὶ κῦρα *nominant, ſed illos, qui jam ſunt in lucem editi, intelligit, eoſque in quatuor claſſes diſtinguit.*

In prima *collocat* τοὺς μικροὺς καὶ νεογενεῖς, *parvos & recens natos:* aphor. 24. ſect. 3. *quos alij* βρέφη καὶ νήπια *vocant.*

In ſecunda τοὺς πρὸς τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγοντας; *qui ad dentitionis tempus, quod utplurimùm eſt menſis ætatis ſeptimus, acceſſerunt, reponit:* aphor. 25. ſect. 3.

In tertia τοῖς πρεσβυτέροις, *qui jam facti grandiuſculi, locum concedit:* aphor. 26. ſect. 3.

In quarta τοῖς ἔτι πρεσβυτέροις, καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι, *adhùc grandioribus, & ad pubertatem accedentibus ſtationem ſuam aſſignat:* aphor. 27. ſ. 3.

Hic verò in Commentario iſtas puerorum claſſes certis annorum

norum limitibus circumſcribit: & primam *incipit à die natali, eamque uſque ad menſem ſeptimum extendit.*

Secundam *à tempore dentitionis inchoat, & illam ad annum uſque quartum protrahit.*

Tertiæ *initium facit ab anno quarto, eique finem imponit anno duodecimo.*

Quartam *numerare incipit ab anno duodecimo, & anno decimoquarto finit: quo ætas ſecunda, quæ Pubertatis nomine venit, initium capit.*

Liquet ergò, per Pueros inaudiri eos, qui duos primos annorum ſeptenarios complent: h. e. qui in prima ætate conſtituti ſunt: quæ die natali orditur, & anno ætatis decimquarto terminatur.

Hanc ætatem quidam crudam nominant & imperfectam: quòd nullos adhùc neque ingenij, neque corporis fructus ferat: eamque in Infantiam & Pueritiam diſpeſcunt: & Infantiam quidem tribus quatuorve primis vitæ annis: Pueritiam verò reliquis, uſque ad decimumquartum, determinant.

III.

Quinam morbi pueriles appellentur?

Q*Vi pueros affligunt primis duobus ſeptenariis, à prima nativitate uſque ad decimumquartum ætatis annum. Suntque duplicis generis.* Alij enim ſolis accidunt pueris, *qui verè ac propriè pueriles dicuntur: ut dentitio, & quæ eam ſymptomata conſequuntur, ab* Hippocrate aphor. 25. ſect. 3. *recenſita: hæmorrhagia item ex malè vincto umbilico: phlegmone amputationi illius ſuperveniens &c.* Alij aliis quidem etiam ætatibus obtingunt: *cùm tamen pueris accidant crebriùs & frequentiùs, quàm ætatibus aliis, pueriles dici conſueverunt: ut morbilli & variolæ. Ejusmodi affectus quanquam ſint communes, certo tamen modo etiam proprij nominari queunt: nimirùm non ratione naturæ & eſſentiæ, quæ in omnibus ætatibus eſt eadem:*

dem : ſed vel ratione cauſarum, *quæ in pueris utplurimùm ſunt peculiares: vel* ratione victus, *quem pueri, præſertim parvuli, ſibi habent proprium: vel* ratione curationis, *quoniam delicatula hæc ætas alia requirit pharmaca, quàm adulta. Ferre enim nequit omnia, quib. tractatur matura.*

IV.

Quæ ſint talium morborum cauſæ?

HIppocrates l. de octim. *partu ſcribit, eas eſſe duplices. Quaſdam enim pueros in, quaſdam extra uterum affligere.*

In utero afficiuntur pueri, ὅταν ὁ τόκος γένηται, *cùm partus ſit. Vertitur namque infans, & ad exitum ſe præparat. Inter exeundum verò comprimitur: quia per anguſtum pudoris clauſtrum illi tranſeundum eſt. Minùs autem torquetur, ſi exeat in caput: quoniam exitus iſte naturalis eſt, nullaque obſtacula habet. Magis verò, cùm vel in pedes, vel in brachia, vel in dorſum, vel in ventrem, vel in nates, vel in alterutrum latus, vel alia aliqua ratione, (ſunt enim exeundi modi plurimi) prodit. Sic namque & Matri dolores creat acerbos, & ipſe multas difficultates patitur: præſertim ſi ſit grandior, aut debilis atq; infirmus: ita ut diutiùs hæreat in illis anguſtiis.*

In eodem utero, cùm ad lucem properat, chorda, quæ inteſtinulum aliquod refert, & ex involucro ipſisq; vaſis umbicalibus conſtat, collum illius non rarò circumvoluit, ita ut ſtrangulationis periculum incurrat.

Extra uterum πολλὰς μεταβολὰς ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ, *multas mutationes intra exigui temporis ſpatium ſuſtinet infans.*

Prima, *eaque ſubita & repentina, fit* ἐν τῇ ἀναπνοῇ, *in reſpiratione. Frigidum quippe aërem, cui priùs non aſſueverat, inſpirare tenetur.*

Secunda ἐν τῇ τροφῇ, *in victu. Alebatur enim in utero ſanguine, eoque dulciſsimo ac puriſsimo, inquit* Hippocrates l. περὶ φύσεως παιδίου: *idque nullo ventriculi labore. Editus in*

lucem

lucem cibum planè novum & inconſuetum aſſumit: pulticulas ſcil. ex lacte & farina, vel ex brodio aliquo micaque panis confectas. Ingerit quoque lac Matris, & Nutricis conductæ, quod non ſemper bonæ eſt notæ. Hinc Matrum & Nutricum vitia in illum derivantur. Cumque priùs neque chylum, neque ſanguinem generârit, ventriculus chylificare, & hepar ſanguificare neceſſe habet: in quibus concoctionibus varij committi poſſunt errores: idque vel materiæ alimentariæ, vel principij concoquentis cauſa.

Tertia ἐν τῷ χωρίῳ, ἢ ἐν τῷ τόπῳ, *in regione locove, quo indegit. Cùm enim adhuc habitaret in utero materno, loco fruebatur tepido, molli, ſuæque naturæ congruenti. Poſt partum verò derepentè exponitur aëri frigido. Quæ ſubita & repentina mutatio, ſicut & quævis alia in rebus aliis, eſt ſecundum* Hippocratis *decretum* aphor. 51. ſect. 2. *periculoſa.*

Quarta ἐν τοῖσιν ἐσθήμασι, *in veſtimentis. Indutus priùs fuerat, inquit* Hippocrates, *& carnibus, & humoribus, iiſque tepidis, humidis, mollibus atque cognatis: excluſus verò in lucem talibus veſtitur tegumentis, qualibus qui jam facti adultiores, linteaminibus ſcil. ſiccis, duris & aſperiuſculis, quibus undiq; involuitur, vincitur, & conſtringitur.*

V.

Quid de hiſce cauſis ſentiendum?

NOs illas libenter admittimus: addimus tamen & alias, quæ ſimiliter vel in, vel extra uterum in infantes agere ſolent.

Quæ eos in utero *afficiunt, ſunt variæ.*

I. eſt vitioſum parentum ſemen, ex quo hæreditarij morbi ſcaturiunt.

II. Error facultatis plaſticæ, quæ ſuo in opere turbatur, vel propter ſeminalis materiæ copiam: vel propter ejusdem penuriam: vel propter pravam & corruptam qualitatem.

III. Impurus vitioſusq; Matris ſanguis: quem vel viſcerum

ejus

ejus morboſa conſtitutio, vel illius improba vivendi ratio, cui geſtationis tempore dedita fuerat, peperit.

IV. Adverſa Matris valetudo, cujus nomine etiam fœtus ægrotare cogitur.

V. Matris uterum gerentis ictus, caſus, terror ſubitaneus, valida impreſſio, ſive imaginatio, ſaltus, motus violenti, mæror & luctus diuturnus, infinita alia.

VI. Difficilis & laborioſus partus, qui talis eſſe ſolet, vel ex parte Matris, vel ex parte Infantis. Ratione Matris, *quæ timida, impatiens, obſtrepera & refractaria, vel debilis atque infirma, ita ut aut nolit, aut non poſſit in partu laborare. Præterea ob genitalium anguſtiam: ob præmaturum aquarum effluxum: ob nimiam obeſitatem, quæ vias reddit arctiores: ob gracilitatem & maciem muſculorum abdominis, quæ, uti* Hippocrates aphor. 35. ſect. 2. *loquitur, etiam ad infernas purgationes parum tuta eſt: ob diſtorſionem cervicis uterinæ: ob uteri & cervicis illius affectus, v. g. ulcera, fiſſuras, phlegmonem, ſcirrhum, tuberculum durum, orificio matricis interno adnatum: ob dyſpnoeam, vel aſthma. Opus enim cohibitione ſpiritus in enixu. At aſthmaticæ ſpiritum cohibere nequeunt. Deniq; ob affectum alium, Matrem debilitantem, eamque in laboribus partus impedientem.* Infantis verò cauſa, *qui vel non naturaliter eſt ſitus: vel mole inſignis: vel numero geminus, aut tergeminus: vel debilis admodùm, aut planè extinctus, ut Matrem juvare non poſſit: vel arctè utero alligatus, ut vincula ægrè ſolvantur.*

Quæ extra uterum *puerulos lædunt, morboſque invehunt, itidem multiplices ſunt.*

I. Abſciſſio, ſive amputatio umbilici. Hanc enim non rarò dolores & inflammationes conſequuntur.

II. Ligatura ejus vel laxa nimis, vel nulla. Vnde hæmorrhagia oboritur, & aliquando propter caloris & ſpirituum evacuationem mors ſupervenit.

III. Ne-

III. Negligentia & imperitia Obſtetricum, Nutricum & Curatricum, quæ non rarò naturali partium figuræ plurimùm nocent: cùm ſcil. fœtus ab Obſtetricibus in partu non rectè excipitur, duriuſve tractatur, & violenter extrahitur. Poſt partum verò à Curatricib. & Nutricibus minùs aptè faſcijs involvitur, ſiniſtrè geſtatur, aut perverſo modo in lectulo reponitur. Nam niſi infantes ritè tractentur, facilè naturales membrorum figuræ vitiari queunt: teſtè Galeno l. de cauſ. morb. cap. 7. *Sunt enim illorum corpuſcula tenella & mollia, imò & oſſa eorum quaſi cerea ſunt, & caſei recens coagulati in modum flexibilia: authore* eodem lib. 2. de temperam. c. 2. *Deteſtandus etiam earum mos eſt, quæ infantes præcociter ſtare & ambulare cogunt. Incurvantur enim illorum crura, vis coxis infertur, & artus inferiores valdè debilitantur, cùm hac ratione molem corporis ſuperiorem ante tempus geſtare & ſuſtinere teneantur.*

IV. Nutricum luxuria in victu. Bibulæ enim utplurimùm ſunt & vini amantes, &, ſiquidem in conjugio ſint conſtitutæ, Venereis quoque indulgent voluptatibus.

V. Puerilis ætatis caliditas & humiditas, cujus cauſa plurimis obnoxij ſunt morbis: præſertim catarrhis, tuſſi, aſthmati, alvi profluvijs, febribus &c.

VI. Puerorum grandiuſculorum ingluvies, intemperantia, imprudentia, ferocia.

VII. Victus infantibus conſuetus. Veſcuntur enim lacte & lacticinijs, quæ vel prava ſunt, vel facilè in ventriculo malè diſpoſito corrumpuntur.

VI.
Quotuplices ſint Puerorum morbi.

Morbi vocabulum ſumimus laxiùs, pro quovis affectu præter naturam. Hac ratione puerorum morbi ratione ſitus *vel interni ſunt, vel externi. Internos vocamus, qui & ipſi, & cauſæ illorum intus in corpore latent. Externos dicimus, quo-*

rum cauſæ quidem intus conſiſtunt, ipſi verò affectus foris obſervantur.

Ratione ſubjecti *univerſales ſunt & particulares. Illi totum corpus, aut maximam ejus partem occupant. Hi unam duntaxat particulam obſident: eamque vel in capite, vel in collo, vel in thorace, vel in abdomine, vel in artubus ſitam.*

Ratione ætatis *vel recens natos, vel ad dentitionis tempus progreſſos, vel grandiuſculos, qui inter dentientes & ad pubertatem accedentes ſunt medij, vel pubertati vicinos infeſtant: authore* Hippocrate ſect. 3. aphor. *&* Galeno *in commentario.*

VII.

Qui ſint externi & interni univerſales?

EXterni univerſales *ſunt Variolæ, Morbilli, Scabies, Pruritus, Impetigo, Macies, Maculæ volaticæ, quas vulgus* den Flug *appellat.*

Interni univerſales *ſunt Febres. Totum quippe corpus per illas præter naturam calet, & quidem cum læſione functionum, maximè vitalium: quoniam in quavis febri Cor, vitalium actionum fons, eſt affectum.*

VIII.

Qui ſint externi particulares?

I*Lli varijs in partibus conſpiciuntur.*

Nam in Capite *ſe offerunt Hydrocephalus, Capitis & faciei inflatio, Siriaſis, Tinea, Cruſta lactea, Achores, Favi, Phthteiriaſis, ſive morbus pedicularis.*

In Oculis *Strabiſmus.*

In Auribus *Dolor, Phlegmone, Humiditas, Intertrigo, Vlcera, Vermes, Parotis, quæ dici videtur ab* Hippocrate aphor. 26. ſ. 3. *ſatyriaſmus.*

In Labiis *Fiſſuræ, & Labia leporina.*

In Narib. *ſanguis ex naribus profluvium.*

In Partibus muſculoſis, *dorſo præcipuè, Dracunculi,* die Miteſſer.

In

In Umbilico *Prominentia, Phlegmone, Hæmorrhagia, Humiditas.*

In Collo, Axillis, Inguinibus, Scroto, Plicis femorum, Perinæo, *Intertrigo. In inguinib. etiam tumores, quos vulgus* Wachsknollen *vocat.*

In Scroto *Hernia inteſtinalis, omentalis, aquoſa, flatulenta, carnoſa.*

In Ano *Prolapſus, ſive Procidentia.*

In Artubus *utriſque Paralyſis, Convulſio:* in Manibus *verò Verrucæ.*

IX.

Qui ſint interni particulares?

E*T iſti ſimiliter multas partes affligunt.*

In Capite *Catarrhi, Coryza, Vigiliæ, Epilepſia, crebrâ Sternutatio.*

In Ore *Aphthæ & Veſiculæ linguæ, palati & gingivarum, Vlceratio & Relaxatio* Uvulæ, *gingivarum pruritus, Dentitio, Ranula ſub lingua, Linguæ ligatio, Dolor dentium, Mutitas, Balbuties, Hæſitantia.*

In Collo *Strumæ, Tonſillarum tumor & Phlegmone.*

In Thorace & Pulmone *Tuſsis & Aſthma.*

In Corde *Terror, Pavor, maximè ſomni tempore.*

In Imo ventre, *Vomitio, Nauſea, Singultus, Tormina, Diarrhoea, Dyſenteria, Teneſmus, Alvi conſtipatio, Ventris & Hypochondriorum inflatio, Vermes, Calculus veſicæ, Dyſuria, Iſchuria, Vrinæ incontinentia & Ardor, Imperforatio, ſive Clauſura genitalium & ani, ~~Tumor inguinum,~~ Ani pruritus.*

X.

Sitné ipſa puerilis ætas recenſitorum morborum efficiens cauſa?

HIppocrates ſect. 3. aphor. *morbos dividit in vernales, æſtivales, autumnales, & hyemales.* Libro de aër. aq. & loc.

 eoſdem

eoſdem diſpeſcit pro ratione regionum, & quomodo homines in diverſis mundi regionibus ſe habeant, oſtendit. Quæritur ergò, an ipſa anni tempora, itemque regiones cauſæ morborum ſint efficientes? Reſpondetur, per ſe tales cauſas non eſſe: ſed tantùm per accidens. Non enim tempus, quà tempus, cauſa morborum eſt. Cùm enim quantitas ſit, efficienter & activè ad morborum productionem minimè concurrit: quia quantitatis nulla eſt efficacia. Si tempus cauſa morborum ſtatuitur, per accidens ſolùm cauſa illorum dicitur: quoniam accidit, ut hoc, vel illo tempore, hic vel ille morbus graſſetur. Veræ autem & per ſe cauſæ ſunt qualitates, quæ diverſæ ſunt in diverſis anni temporibus. Proficiſcuntur autem vel à ſuperioribus & cæleſtibus, vel ab inferioribus & elementaribus corporibus. Aërem enim, aquam & terram in diverſis anni partibus diverſimodè alterari, lippis & tonſoribus notum eſt. Hùc accedit & altera cauſa, ipſa nimirùm victus ratio, quæ pro varietate temporum variare ſolet. Quæ enim, v. g. cauſa, quòd æſtivo tempore febres tertianæ & ardentes, & alvi profluvia præ cæteris morbis dominentur? Certè non tempus ipſum, ſed tùm calidus & ſiccus aër, qui bilis copiam producit: tùm fructuum horæorum frequens uſus, qui & febrium, & diarrhœarum eſſe ſolent cauſæ. Facilè namque putreſcunt, propter excrementitiam humiditatem. Promptè quoque alvi profluvia creant, natura ſeſe exonerante, & putridam illuviem per inteſtina excernente.

Par ratio eſt ætatis. *Hæc enim quatenùs illud eſt curriculum vitæ, quo corporis conſtitutio ſenſibiliter mutatur, eatenus morborum cauſa nequaquam eſt. Sed vera cauſa duplex eſt: una interna, corporis conſtitutio & temperamentum: altera externa: ipſa ſcil. vivendi ratio, quæ ſub diverſis ætatibus eſt diverſa.*

XI.

Quæ cauſa, quòd puerorum morbi non rarò ægrè admodùm & difficulter curentur?

Non

Non una hujus rei cauſa eſt, ſed potiſſimùm quintuplex.

I. Inobedientia: *quia pueri nondum intelligunt, quòd bona intentione remedia ſibi adhibeantur.*

II. Impatientia, *quam delicata & mollis eorum natura parit.*

III. Ignorantia, *& infantum fandi impotentia. Non enim ſermone, nec aliis indiciis ſuas exprimere queunt paſſiones, ſed fletibus ſolùm & ejulatibus malè ſe affectos eſſe, nobis ſignificant. Ideóque in illorum affectuum cognitionem conjecturis ſolùm, & ſignis obſcuris, ab uſu & experientia petitis, pervenimus. Incogniti autem morbi nulla eſt curatio, inquit* Avicenna: *methodica ſcil. rationalis, & artificioſa, quæ indicationibus, tanquam fundamentis, nititur. Benè quippe feliciterque medetur, ait* Trallianus l. 8. c. 9. *benè qui affectus dignoſcit. Et* Hippocrates *dicit lib.* περὶ τέχνης, *Medicum, ſi ſufficiat ad cognoſcendum, ſufficere quoque ad curandum, h. e. ad medicamenta pro recuperatione amiſſæ ſanitatis legitimè convenienterque uſurpandum.*

IV. Tenella & infirma eorum conſtitutio, *quæ multa præſidiorum genera, v. g. venæ ſectiones, purgationes, vomitiones, ſudationes, uſtiones, ſectiones, & hujus generis alia reſpuit.*

V. Matrum indulgentia, *& Nutricum Curatricumque intempeſtiva atque adulatoria* συμπάθεια. *Ad nutum enim atque arbitrium puerorum ſeſe accommodant: & quod ipſis libet, etiam licere arbitrantur. Offerunt quæ volunt: tollunt quæ nolunt: flocci Medicorum præſcripta pendentes.*

XII.

Utrum dentitio morbus ſit, an naturæ opus?

Quæſtio eſt de dentitione, h. e. dentium jam in gingivarum alveolis genitorum eruptione prima, quæ accidere infantibus ſolet utplurimùm circa menſem ætatis ſeptimum. Videtur autem prima fronte morbus eſſe, ſequentibus de cauſis.

 I. quia

I. quia infantes malè dentitionis tempore habent: ideòque plorant, inquieti ſunt admodùm, digitulos in os immittunt, vigiles inſomnesque noctes traducunt, os multa ſaliva madet, malæ rubent, gingivæ tument & calent, imò & ſebricitant.

II. quia juxta Hippocratem aphor. 25. *gravia quandoq; ſymptomata conſequuntur, præſertim cùm pueruli ſunt corpulenti, conſtipati, caninoſque dentes emittunt: v. g. pruritus & dolor gingivarum, convulſiones, & alvi profluvium.*

Verùm, naturæ opus rectiùs ſtatuitur dentitio, *quàm morbus. Ratio eſt: quoniam Natura illam intendit in omnibus. Et licet prima infantium dentitio, quæ utplurimum circa menſem ætatis ſeptimum incipere ſolet, doloroſa ſit, & cùm ſymptomatibus enumeratis conjuncta, ſecunda tamen, cujus initium fit anno ſeptimo, vel ijs caret, vel longè ſaltem mitior eſt & tolerabilior.*

Symptomata, quæ dentitionem vel comitantur, vel conſequuntur, de natura dentitionis non ſunt, neque probant, quòd dentitio per ſe & formaliter conſiderata, quatenùs genitorum dentium eſt eruptio, ſit morbus, ſed ſolùm effectus illius exiſtunt. Non enim dentitio fieri poteſt ſine perforatione gingivarum: perforatio autem, tanquam continui ſolutio, dolorem creat: dolor vigilias inducit: vigiliæ cruditatem pariunt: cruditas diarrhœam cauſat. Idem dolor inflammationem gingivarum & genarum creat, quia facit, ut ſanguis accurrat. Inflammationem poſteà febris conſequitur.

Dices, *Naturæ opera ſine periculo, & ſine ejusmodi moleſtiis fieri. Regerimus, non ſemper. An non partus Naturæ opus eſt? At is non raro magno cum cruciatu, imò aliquando cum vitæ diſcrimine fieri conſuevit. Nunquid non tuſsis motus eſt expultricis pulmonum & thoracis, vomitio ventriculi, fæcum excretio inteſtinorum, ſternutatio cerebri & illius meningum? At quoties quæſo motibus iſtis, præſertim vehementioribus, venarum ruptiones, & herniæ ſuccedunt? Quoties partus difficilis*

cilis

cilis & laborioſius bronchocelen, ὀμφαλοκήλην, rupturas in uteri cervice, & veſicæ oſtio cauſat, ut urina non ampliùs retineri queat, ſed inſcijs & invitis mulieribus magna cum turpitudine & moleſtia reliquo vitæ curriculo effluat? An non κρίσεις naturaliſsima ſunt Naturæ opera? Atqui quædam illarum etiam κινδυνώδεις, periculoſæ ab artis proceribus dicuntur, quia cum gravibus ſymptomatibus contingere ſolent. Imò κριτικὴ illa ταραχὴ, quæ κρίσιν præcedit, adeò atrox nonnunquam eſt, ut adſtantibus, qui criticorum motuum ſunt ignari, terrorem haud mediocrem incutiat, eoſque de convaleſcentia ægrorum deſperare cogat.

XIII.

Cur infantes apud nos adeò frequenter convulſionibus corripiantur?

C*Auſa videtur eſſe multiplex.*

I. eſt Cerebri & nervorum *in infantibus imbecillitas. Ideoq́ facilimè afficiuntur.*

II. Ventriculi impuritas, *aut debilitas, ita ut lac aſſumptum promptè in illo corrumpatur.*

III. Lactis vel materni, *vel Nutricis, vel vaccarum, quod pulticulas infantium ingreditur, vitium.*

IV. Vinoſitas & temulentia *vel Matrum, vel Nutricum: præſertim ſi vini generoſi ſint appetentes.*

V. Ira, *ad quam multæ Nutrices, etiam levi de cauſa, provocantur.*

VI. Terror & conſternatio *ſubita, quæ quantum non ſolùm lactantibus, ſed etiam gravidis noceat, experientiâ quotidiana abundè teſtatur.*

XIV.

An pueris ſecanda vena? Num purgandi? An ad vomitum cogendi?

P*Lacitum eſt artis noſtræ Dictatorum, ante decimumquartum*

ætatis

ætatis annum venam temerè tundenſam non eſſe. Quo ſanè placito infantes & pueri ad ſanguinis detractionem minimè admittuntur: idque ſequentibus de cauſis.

I. quia ſunt in incremento. Hujus ergò materia, quæ ſanguis eſt, neutiquam tollenda.

II. quia ob caloris ubertatem plurimo alimento opus habent, quod ſanguis eſt. Ideoq́ꝫ is nequaquam profundendus.

III. quia timidi ſunt & meticuloſi. Averſantur quoqꝫ ſanguinem, & plurimùm à ſectionibus & uſtionibus abhorrent.

IV. quia cùm corpore conſtent laxo, raro atque aperto, eoſq́ꝫ Natura ſponte per ſudores, alvi dejectionem & urinæ ductus ſatis vacuet, haud videtur vacuatione arte inſtituta opus eſſe.

Verum, ſi puer ſit validus, *ſi plethoricus, ſi intrepidus, ſi viſceris alicujus inflammatione laboret, aut febri continua detineatur, haud verentur artis Anteſignani ſanguinem puerulis detrahere, ea tamen in copia, quam & morbi magnitudo requirit, & vires benè ferre poſſunt. Extant à veterib. & neotericis exempla allegata, quibus rem feliciter ſucceſsiſſe ſignificatur.* Neque ob id vel incrementum, *vel nutritio impedita fuit: quoniam vacuati ſanguinis copia corpori puerili erat proportionata, & tantùm tempore neceſsitatis uſurpata: nequaquam ſæpiùs repetita.* In αἱμοφόβοις vacuatio iſta *adminiſtranda non eſt: quia verendum, ne ex metu & conſternatione grave aliquod ſymptoma ſuperveniat.* Habent quidem puerúli *corpus apertum, & tùm ſenſibiliter, tùm inſenſibiliter vacuantur ſpontè: verùm vacuatio iſta in gravioribus morbis, quales febres ſunt continuæ, anginæ, & viſcerum inflammationes, minimè ſufficit. Supplendum igitur arte, quod à Natura præſtari nequit: aut vicaria venæ ſectionis, ſcarificatio, inſtituenda.*

Purgationem *quod attinet, admittimus illam non in pueris ſolùm, ſed & in infantibus lactentibus, & adhùc in cunis jacentibus, ſiquidem indicans, ipſa ſcil.* κακοχυμία, *vel primæ, vel ſecundæ, vel etiam tertiæ regionis corporis adſit. Sed per*

catar-

cathartica inſtitui volumus, quæ tenellæ ætati conveniant: cujusmodi ſunt Syr. Roſar. & Viol. ſolut. ſimpl. Syr. de Manna, Syr. diaperſic. Syr. de Cichor. cum Rhab. Mel. violar. ſolut. Syr. de ſucc. Mercurialis. Adultioribus offeruntur quoque Paſſul. laxat. Syr. de Rhabarb. & infuſum folior. & folliculorum Senæ in decocto prunorum, aut paſſularum.

Quantum ad vomitoria, *tametſi Natura ipſa vomitum quandoque in infantibus & pueris moliatur, ut vel nimia ciborum copia, vel pravorum humorum redundantia ventriculum eorum exoneret: tamen haud cenſemus, tenellam ætatem ad vomitiones cogendam eſſe: præſertim ſi infantes & pueri ſint corpulenti, pectus habeant depreſſum, collum curtum, & aſthmate laborent: idque ſequentibus de cauſis.*

I. quia ſæpè cum ſuffocationis periculo vomunt.

II. quia caput debile habent atque repletum, tùm natura, quia præhumidum, tùm ob lactis & lacticiniorum uſum quotidianum, quæ halituoſa ſunt.

III. quia metus ſubeſt, ne vel hernioſi fiant, vel venæ eorum, quæ tenues, exiles, molles, & delicatæ, ut membra alia, rumpantur.

Præſtat ergò eos vacuare κάτω, quàm ἄνω, ſi neceſſitas purgationem poſtulaverit.

XV.
Quid ſit apud Hippocratem σατυριασμὸς?

Hippocrates aphor. 26. ſect. 3. σατυριασμοὺς *puerulis grandiuſculis, qui ſcil. jam ſunt ablactati, & primæ dentitionis tempus ſuperârunt, mediamque ætatem agunt inter dentientes & pubertati proximos, frequenter accidere ſcribit. Haud igitur immeritò quæritur, quid per* σατυριασμὸν *intelligat?*

Eſt enim varia & multiplex hujus vocabuli ſignificatio.

I. Significat Elephantiaſin: quoniam qui hac laborant, vultu Satyris ſimiles ſunt: authore Galeno l. de tum. p. n. c. 14.

II. Denotat oſſeas eminentias circa tempora: quæ in aliis partibus ἐξοςώσεις *dicuntur:* teſte eodem ibid.

III. Priapiſmum ſonat: qui Colis eſt tentigo, ſeu erectio indeſinens, cum inexplebili coëundi cupiditate. Vocatus hic fuit affectus à priſcis Satyriaſis, à Satyris, qui pictura & ſtatuis erecto pene exprimebantur: ſic docentibus Aretæo l. 2. de cauſ. & ſign. morb. acut. c. 12. *&* Aëtio tetr. 3. ſerm. 3. c. 32. *Item & Priapiſmus, à Priapo, Satyro nimirùm, quem gentiles naturâ erectum habuiſſe genitale, & finxerunt, & pinxerunt: velut* Aëtius *loco allegato ſcribit.*

IV. Innuit prominentes juxta aures glandularum tumores: quæ ſignificatio habetur apud Gal. *libell. de antiq. vocum* Hippocratis *explanatione, ubi dicit,* Σατυριασμοὶ εἰσὶν οἱ περὶ τὰ ὦτα προμήκεις ὄγκοι τῶν ἀδένων.

Hiſce ſignificationibus præmiſſis, apparet, Hippocratem *allegato aphoriſmo Elephantiaſin non intelligere, quoniam puerilis morbus non eſt, ſed omni ætati communis.*

Nec inaudire oſſeas temporum eminentias, quoniam etiam aliæ ætates iis ſunt obnoxiæ.

Nec velle Priapiſmum, quia extra controverſiam eſt, pueros Venerem non appetere.

Relinquitur ergò, ſermonem illi eſſe de prominentibus glandularum tumoribus circa aures: quas Græci παρώτιδας, *noſtrates forſan* die Ohrklamm/ *&* die Ohrmützeln *nominant. Hiſce enim pueruli grandiuſculi crebrò admodùm corripiuntur.*

Strumas Hippocratem *indigitare non putamus: tùm quia illarum expreſſam mentionem facit poſt* σατυριασμοὺς, *eaſque* χοιράδας *appellat: tùm quia à* σατυριασμῷ *longè ſunt diverſæ. Sunt enim glandularum in collo, mammis, alis, inguinibus, & alibi, ubi glandulæ exiſtunt, tumores duri, Scrophulæ aliâs nuncupati.*

XVI.

Quid ſit Volatica, & quorſum referenda?

affectus

AFfectus iſte Volatica dicitur, german. der Flug/ *quia hinc inde quaſi volare videtur, & nunc hanc, nunc illam partem occupat. Macula eſt rubra, ſine tumore, ſine ulcere, ſine pruritu. Vidimus illam in duobus ſubjectis: in viro quodam Nobili & puella aliquot annorum. Is inciderat in eryſipelas tibiæ, quod vulgò* die Roſe/ das Rothlauffen/ *&* die Schöne *à noſtratibus appellari ſolet. Verùm, uno in loco non manebat, ſed ſerpebat paulatim ulteriùs, ut & crura totumq́ imum ventrem cum inſigni rubedine obſideret. Hæc verò ruborem nunc in hac, nunc in illa parte, miro ſpectaculo, patiebatur.*

Hujus affectus cauſam *arbitramur ſanguinem eſſe, valdè tenuem & fervidum, qui bilioſus aliâs dici conſuevit. Nam color illum prodit, & crebra locorum mutatio ſatis oſtendit, igneum valdeq́ mobilem, & conſequenter tenuem atque ſubtilem eſſe, quem natura criticè quaſi ad cutem, totius corporis emunctorium, expellit: idque in febri, quæ ſemper adeſſe ſolet. Adſtantes parentibus puellæ, quæ & ipſa nobili loco nata erat, conſulebant, ut illam linteamine cera oblito involverent. Verùm, cùm ceram emplaſticam eſſe ſcirem, poros cutis infarcientem, telam illam removi: hac motus ratione, quòd motus critici, qui bona intentione à natura inſtituuntur, ad ſalutem ſcil. ægrotantis, nulla ratione impediendi, ſed potiùs omnibus modis promovendi ſint.*

Arbitramur autem, *Volaticam noſtram ad eryſipelas referendam eſſe. Videtur enim eadem utriusque eſſe natura atque eſſentia, unaque cauſa, & una curandi ratio. Diſcrimen in eo ſolummodò conſiſtere ſuſpicamur, quòd eryſipelas in uno loco utplurimùm perſiſtat & fixum maneat: in Volatica rubor deſerat locum priorem, & aggrediatur alium. Vel, ſi priorem non deſerat, ulteriùs tamen progreditur, & loca vicina invadit. Deinde, quòd Volaticæ ſanguis ſit calidior, ſubtilior, & malignior, quàm eryſipelatis vulgaris: quo fit, ut hinc inde vagetur; & quia ſanguis illius acrior eſt atque mordacior, expultricem partium facultatem irritat, ut uno in loco permanere nequeat.*

Quid puerorum ſint Dracunculi? ubi potiſſimùm exiſtant? & qua ex materia generentur?

D*Racunculi, δρακόντια Græcis, quid ſint, in dubium vocatur. Propterea quidam arbitrantur, figmenta potiùs eſſe, quàm entia realia. Probant ſententiam ſuam exinde, quia diverſimodè ab authoribus, veteribus maximè, deſcribuntur. Quidam neoterici, inter quos* Felix Platerus tract. 3. prax. cap. 13. *fatentur ingenuè, ſibi Dracunculos eſſe incognitos.*

Gorræus *in defin. medicin. ait, quid Dracunculi reverà ſint, neminem Medicorum explicare poſſe, qui Europam incolunt. Poſſe tamen animalia eſſe, rationem nobis dictitare: cùm non modò in ventriculo & inteſtinis creari, verùm etiam ex cute erumpere, tùm pediculos, tùm majora quandoque animalia compertiſſimum habeamus ex hiſtoriis.*

Quòd autem diverſimodè ab authoribus deſcribantur, ex ſequentibus liquet.

Author defin. med. *dicit, Dracunculum eſſe ulcus, quod à parte propinqua ad ipſum nervi delationem habet: dictus, quod nervus moto corpore in ulcus recedat, in eoque occultetur.*

Author Iſagog. cap. 18. *ait, Dracontia varicibus ſimilia eſſe: magnum verò dolorem, dùm paululùm prominentes moventur, concitare. Addit & cheirurgiam, quòd ſcil. diviſis, ut varicibus, ſummam cutem detrahere, ſicque præcidere oporteat.*

Idem ibid. c. 17. *Dracontiaſin, quam cap. 18. Dracontiam appellârat, inter cutis affectus recenſet, quorum plurimos ibid. enumerat.*

Galenus l. 6. loc. aff. cap. 3. *refert, famam eſſe in quodam Arabiæ loco, Dracunculos in hominum tibiis naſci, nervoſa natura, colore, & craſſitudine lumbricis ſimiles, quos tamen cùm nunquam viderit, audiverit verò multos, qui ſe eos vidiſſe dicebant,*

bant, ideóque nihil de eorum ortu atque eſſentia ſe conjicere poſſe aſſeverat.

Actuarius l. 4. meth. med. c. 16. *ſcribit, δρακόντια in Regionibus ſuprà AEgyptum potiſſimùm provenire, & eſſe animalia, quæ in partibus muſculóſis, puta brachiis, femoribus & ſuris, ſua habeant domicilia. In puerulis verò etiam in lateribus, ceu lumbricos, gigni & moveri. Ubi inveteraverint, locum liveſcere & ſuppurari. Curationem eſſe eam, quæ putreſcentibus & tineas obtinentibus partibus competit.* Et l. 6. meth. med. c. 8. *addit, δρακόντια tolli, ut vermes ulcerum ac vulnerum, necarique medicamentis amaris & acribus.*

Idem ferè Paulus l. 4. c. 59. *docet. In India, inquit, & regionibus ſupra AEgyptum Dracunculi generantur, velut lumbricis ſimilia animalcula: & quidem in partibus muſculoſis, nempè brachiis, femoribus, & tibiis. In pueris verò etiam in lateribus. Conſiſtere ſub cute, & manifeſtè moveri. Deinde temporis progreſſu diuturniore, juxta Dracunculi aliquam extremitatem, locum ſuppurari, & aperta cute principium Dracunculi foràs procedere. Verùm, dum attrahitur, dolores inducere, & præſertim ubi fuerit abruptus.*

Idem tamen Paulus ibidem *ſubjungit*, Soranum *neque omninò animal, ſed nervi alicujus concretionem Dracunculum eſſe putare, qui opinionem ſolùm inducat, quòd moveatur. Sed rem in medio relinquit. Ambigit enim, an Dracunculi animalia ſint? an nervorum affectus? Et curationem ex* Sorani & Leonidæ *ſententia proponit. Quo facto, palam facit Lectori, ſe Dracunculos nunquam vidiſſe, neq; ſcire, num animalcula ſint, an affectus quidam præter naturam?*

Aëtius tetr. 4. ſerm. 2. c. ultimo, *Dracunculos animalia eſſe ſtatuit. Sic enim ille. Qui appellantur Dracunculi, lumbricis ſimiles ſunt: ſuntque interdum magni: nonnunquam parvi. Frequentiùs quidem in cruribus: quandoque verò & in muſculoſis brachiorum partibus conſiſtentes. Naſcuntur autem in*

Æthiopia ac India, in pueris præcipuè: eſtque ipſorum generatio non diſsimilis lumbricis latis ventris. Sub cute enim moventur, nihil moleſtiæ afferentes. Verùm temporis progreſſu circa Dracunculi extremitatem locus ſuppuratur, & cutis aperitur, ac Dracunculi caput exeritur.

Avicenna l. 4. fen. 3. tract. 3. c. 21. *Dracunculorum etiam mentionem facere videtur. Vocat autem illos Venam Medeni: quòd in urbe Medena malum ſit frequens & endemium.* Haliabbas *venam famoſam,* Albucaſis *venam civilem, alij venam cruris nominant, quòd in cruribus frequenter oboriatur. Sic verò eos* Avicenna *deſcribit. Quidam opinantur, Dracunculum ramum eſſe nervi corrupti & craſsi. Ipſe verò perſuaſum habet, vermem eſſe, ſeſe ſub cute moventem. Credit etiam, obſervari utplurimùm in cruribus. Vidiſſe verò ſe in manibus quoque, & in utroque latere infantum multiplicari. Quando extenditur, & reſecatur, augeri dolorem.* Galenum *affirmare, Dracunculos ſeſe minimè manifeſtare: neq; ullum ſubeſſe fundamentum, cui de exiſtentia illorum inniti queamus. Vnde* Avicenna *ſuſpicatur,* Galenum *Dracunculos nunquam vidiſſe. Subjungit quoque, coacervari quandoque Dracunculos uno in corpore, certis quibuſdam locis, 40. aut 50. Materiam eorum eſſe ſanguinem melancholicum, aut phlegmaticum. Cauſas quoque eſſe quaſdam aquas, & olera quæpiam. Cura videatur ibid. c. 22.*

Paræus l. 7. de tum. p. n. cap. ult. *negat, Dracunculos animalia eſſe, ſed tumorem & abſceſſum à fervore ſanguinis in genere venoſo genitum: qui poſtmodùm robore facultatis expultricis ad partes externas, artus præſertim, brachia & crura per venas impulſas, tumorem excitet teretem & longum, ſæpè ab humeri articulo ad carpum uſque, vel ab inguine uſque ad malleolorum alterutrum protenſum, cum tenſione, ardore, renixu, punctorio dolore & febre.*

Ex quibus apparet, quoſdam ſtatuiſſe, Dracunculos animalia non eſſe, ſed vel ulcera, vel tumores, varicibus ſimiles, vel nervos

corru-

corruptos, vel cutaneos affectus. Nonnullos verò pro animalibus illos habuiſſe, & quidem ad vermium naturam accedentibus. Alios prorsùs, quid ſint, ignoräſſe: inter quos Galenum *&* Paulum AEginetam *fuiſſe legimus.*

Nos haud latet, *unum quandoque nomen pluribus imponi rebus. Verùm Dracunculos puerorum, de quib. quæritur, vermiculos eſſe aſſeveramus.*

Germani eos Mittfroß/ *&* Mitteſſer *nuncupant, eam ob cauſam, quoniam alimentum pueris adimunt atque abſumunt: quo fit, ut licet pueri aliâs rectè valeant, & ſatis quoque comedant, ſufficienter tamen non alantur, ſed emacientur & contabeſcant.*

Generantur autem maximè in dorſo: unde pruritum perquàm moleſtum inibi pueri perſentiſcunt, ſuntque valdè inquieti, & hùc illùc ſeſe jactant, crebra lancinatione divexati, & quaſi ſpinularum aculeis compuncti.

Generantur verò ſub cute, ex materia præcipuè phlegmatica, quæ diutiùs ſub illa coërcita putrilaginem quandam concipit, dictosque Dracunculos parit.

Vt abigantur, ſolent noſtri homines dorſum puerorum antè fornacem benè fricare, ut pori cutis aperiantur: poſteà melle, vel ſolo, vel farinæ triticeæ permiſto, illinire. Cùm enim dulcia vermibus grata ſint atque accepta, capitella ſua è poris exerunt, & ad eſcam accurrunt. Exerta capitella novacula detruncantur, ne iterùm ſe retrahant atque abſcondant: hocque alio tempore iteratur, donec nihil eorum ampliùs obſervetur.

XVIII.

Quid ſit puerorum τραγίζειν, hircire? quæ illius cauſa? & quando hircire incipiant?

H*Ircus Græcis* τράγος *eſt.* Τραγίζειν *autem, ſive* τραγᾶν, *eſt hircum referre, vel fætore, vel voce, vel laſcivia. Eſt enim hircus animal laſcivum, libidinoſum atque petulcum.*

Hippo-

Hippocrates *ſcribit* l. 6. epid. ſect. 3. *pueros pubeſcentes, quod fit circa annum ætatis decimumquartum,* τραγίζειν, *hircire:* & lib. eodem ſect 4. *eoſdem* τράγους, *hirquitallos appellat. Quod ipſum quoque* Ariſtoteles *tradit* l. 7. hiſt. an. c. 1. & l. 5. gener. an. c. 7. *ubi ſimiliter* τοῦ τραγίζειν *pubeſcentium meminit.*

Quid igitur per τὸ τραγίζειν Hippocrates *ſibi velit, explicandum eſt.* Calvus *in ſua verſione habet, pubeſcentes* τραγίζειν, *hircire, h. e. hircum olere: quòd valdè* ἄτοπον. *Nam neque hircum olent: neque vocabulum iſtud* Ariſtoteles, Galenus, & Alexander Aphrodiſæus *ita interpretantur. Sed* τραγίζειν *apud* Hippocratem *eſt vocem edere, qualem hirci reddere ſolent, aſperam ſcil. & inæqualem. Sic enim* Ariſtoteles lib. 7. hiſt. an. c. 1. *Mas magna ex parte ſemen ferre incipit anno ætatis peracto decimoquarto: ſimul etiam incipit pubeſcere. Vox item per id tempus incipit mutari* ἐπὶ τὸ τραχύτερον καὶ ἀνωμαλέστερον, *in ſonum aſperum & inæquabilem, quanquam nondum gravem. Neque enim acuta eſt, neque tota æquabilis, ſed ſimilis fidibus, quæ minùs ſunt intentæ, quàm ſit opus: quod vulgò* τραγίζειν *nuncupatur.*

Idem ferè l. 5. gener. an. c. 7. *ſcribit. Cùm ſemen ferre incipit, inquit, etiam vox mutatur: maximè in maribus: fœminis etiam, ſed obſcuriùs, quod quidam* τραγίζειν *vocant.*

Eodem modo τὸ τραγίζειν Hippocratis Galenus *interpretatur* l. 14. uſ. part. c. 7. τὸ τραγᾶν, *ait, apud* Hippocratem *eſt vocem mutare, & graviorem reddere. Quanquam* Scaliger in comm. l. 7. hiſt. an. c. 1. *autumet, vocem in viro eſſe gravem: in impubere acutam: in pubeſcente, cujus genitalia pilis veſtiri incipiunt, neque gravem, neque acutam, ſed aſperam atque inæqualem: ſimilem ſono ſerræ ſecantis.* Theodorus Gaza τὸ τραγίζειν *caprire vertit. Sed rectè carpitur à* Scaligero, *quia hircus capra non eſt. Meliùs igitur redditur per antiquum verbum hirquitallire, quod eſt aſperam, inæquabilem & ſubraucam emittere vocem, hircinæ non diſſimilem.*

Jam

Jam quæritur, quæ iſtius τραγίζειν, ἢ τραγᾶν ſit cauſa? *Reſpondet* Scaliger, *mutari vocem in pubeſcentibus, quia mutetur organum vocale, arteria aſpera. Excitato enim calore fit ſiccius. Fit quoque eandem ob cauſam latius. Quare & vox gravior redditur.*

Alexander Aphrodiſæus lib. 1. problem. 123. *reſpondet uberiùs. Ait, Naturam, Parentem & Gubernatricem humani corporis, circa annum ætatis decimumquartum magnam univerſalemque agere mutationem in homine: idque & fœminarum, & marium exemplo declarat. Mutari ergò & organum vocis, arteriam aſperam: hancque tùm ampliorem, tùm ſicciorem reddi. Cùm verò ampliatur, ſive dilatatur, accidit, ut non ſecundum omnes ſuas partes uno eodemque tempore dilatetur. Inæqualis ergò illa amplitudo efficit, ut ſpiritus, quando per inæqualem illam amplitudinem emanat, ob itineris inæqualitatem impingat, vocemque etiam inæqualem, aſperam ſcil. & raucam, reddat. Siccitas verò ejusdem organi, quæ à calore exuſcitato facta, in cauſa eſt aſperæ & inæqualis vocis. Hinc videmus, quoties in nobis arteria aſpera vel ab externis, vel internis cauſis aſperior ſicciorque reddita eſt, raucam, aſperam inæqualemque vocem nos edere. Hinc aves, quarum guttur ſiccum eſt, aſperum & inæquale, raucam quoque vocem formare animadvertimus. Poſt pubertatem verò adoleſcentes τραγίζειν deſinunt, quòd jam in plenum, ſive totaliter arteria illa ſit amplificata, ſuamq; naturalem æqualitatem receperit.*

Si roges, quando pueri τραγίζειν incipiant? *Reſpondemus, tempus illud patere ex dictis. Tùm quippe hirquitalliunt, & Hirquitalli vocantur, quando ſemen genitale ferre, & pilos emittere in genitalibus, quod eſt ἡβάειν καὶ ἡβάσκειν, pubeſcere, incipiunt. Rareſit enim à calore ampliore cutis, laxantur meatus ſeminales, humorque calefactus eò decurrit, & ibi incaleſcit magis, ut verbis* Scaligeri *loco allegato utamur.*

Cur infantes recens in lucem editi utplurimùm plorare ſoleant?

LUcretius l. 5. de Nat. rer. *philologicam hujus ploratus rationem tradit. Cumprimùm, inquit, Natura infantem nixibus matris ex utero profudit, vagitu lugubri locum, in quo degit, implet: tùm quoniam nudus humi jacet, ceu navita ſævis ab undis projectus, indigus omni vitæ auxilio: tùm quia illi in vita reſtat plurimum tranſire malorum.*

Ideò Plinius in prologo lib. 7. hiſt. nat. *ait, non eſſe ſatis æſtimare, fueritné Natura homini melior parens, an triſtior noverca? Tribuiſſe enim cæteris animalibus tegumenta variè, teſtas, coria, ſpinas, ſetas, villos, pilos, plumam, ſquamas, pennas, vellera: truncos etiam arboresq; cortice, interdum gemino, à frigoribus & calore tutatam eſſe. Hominem tantùm nudum, ~~& in~~ nuda humo natali die ad vagitus ſtatim & ploratum abjeciſſe. Natum jacere manibus pedibusque devinctis, & flere animal cæteris imperaturum, atque vitam auſpicari à ſuppliciis, unam tantùm ob culpam, quia natus.*

Arbitrantur ergò, vagitus infantium cauſam eſſe, quia ſint nudi, inermes, inopes, variis miſeriis & calamitatibus mactandi, & quia ad nutum atque arbitrium aliorum faſciis & vinculis undique conſtricti vivere cogantur. Quæ incommoda cùm inſtinctu quodam naturali præſentiant, fiat, ut in lucem editi fleant.

Cui ſententiæ etiam D. Auguſtinus *ſuffragatur. Vox, inquit, omnis hominis à ploratu incipit, antequam loqui poſſit, miſeriam ſuam prophetizans.*

Nos rationem iſtam *non quidem aſpernamur: credimus tamen, potiores rationes dari poſſe, & quidem phyſicas: nempè compreſſionem, quæ fit, quando infantes per anguſtias clauſtri genitalis in lucem prodeunt: violentam illorum extractionem, quàm ob-*

ſtetrix

ſtetrix molitur: ſubitaneam & aëris, & loci, & veſtitus, & victus mutationem: quæ omnia ſine dolore & moleſtia fieri nequeunt. At dolor in infantibus fletus eſſe cauſa conſuevit.

XX.
Cur tuſſis & aſthma infantes ſæpè infeſtent?

TVſſiculoſos & aſthmaticos ſæpiùs eſſe infantes praxis docet. Quæritur, quam ob cauſam? Reſpondemus, cauſas potiſſimùm duas eſſe. Vnam, humiditatem cerebri, quod ſuperfluitates ſuas tùm ad partes alias, tùm vel maximè etiam ad pectus & pulmones ablegat. Alteram, victum halituoſum, lac nimirùm, & quæ ex lacte parantur, pulticulas. Aſthmatici autem præ cæteris ſunt, qui craſſi & corpulenti, & qui alvo ſunt duriore. Illi enim humidiores ſunt, & pluribus referti ſuperfluitatibus. Hi flatibus ſcatent, qui inteſtina inflantes, & diaphragma comprimentes, dyſpnoeam inducunt.

XXI.
Quæ in infantibus intertriginis cauſa?

INtertrigines græcè παραλείμματα *vocantur.* Avicenna *excoriationes appellat.* Plinius *nunc attrita, nunc confricata nominat. Videntur eſſe abraſiones cuticulæ, quæ* ἐπιδερμὶς *ab Anatomicis nuncupatur. Accidunt adultis & infantibus. Illis à ſtrictis calceamentis, equitatione duriore, motu concitatiore & longiore, qui fit ambulando. Vulgus, neſcio quam ob cauſam,* **den Wolff** *vocat, præſertim cùm intertrigo in ſede facta. Fit & à confricatione membrorum in ſcabioſis, & pruritu laborantibus, manibus, vel linteaminibus aſperioribus, vel rebus aliis, inſtituta. His verò eveniunt omnium frequentiſſimè pone aures, in collo, ſub axillis, in inguinibus, ano, ſcroto, perinæo, interfemineo, & in corpulentioribus in plicis femorum, & in poplite, ſeu poſteriori genu parte, quæ cava, flectendæ tibiæ cauſa*

 fabri-

fabricata. Cauſæ ſunt urina acris & mordax, fæces bilioſæ, quæ itidem acrimoniæ ſunt participes. Vapores acres, exitum & difflationem non habentes. Adhæc ichores ſeroſi & ſalſi: aut humores bilioſi: idque potiſſimùm ob lactis, quod ſugunt, caliditatem. Loca contrectata dolent. Et, niſi maturè iis ſuccurratur, tandem verè exulcerantur.

XXII.

Cur pueruli balbutiant? cur ambulare nequeant? cur urinæ incontinentia laborent? cur frequenter admodùm alvum exonerent?

H*AEc problemata propterea conjungimus, quia horum affectuum una in genere cauſa eſſe videtur.*

Balbutiunt *pueruli, & literas dictionesque rectè pronunciare neſciunt, propter imbecillitatem, ait* Ariſtoteles ſect. 11. problem. 30. *hoc eſt, propter humiditatem, mollitiem, & laxitatem linguæ & nervorum. Omnium verò minimè proferre queunt literam R: quæ literarum eſt aſperrima, & linguæ robur requirit, ut validè ad palatum propè dentes ſuperiores allidatur. Laborant hoc vitio etiam adultorum quidam, qui vel planè non, vel ſaltem depravatè, ictu quodam tremulo, R. pronunciant.*

Cicero *ſcribit,* Demoſthenem *non potuiſſe primam literam illius artis, (Rhetoricam putat) proferre, quam profitebatur.* Plutarchus *refert,* Alcibiaden *pro litera R. pronunciâſſe literam L. quo nomine ab* Ariſtophane *ridetur.*

Lipſius *etiam* Scaligerum *Patrem hoc vitio laborâſſe ſcribit.*

Ambulare *non poſſunt pueruli, inquit* Ariſtoteles ibid. *itidem propter infirmitatem, h. e. ob mollitiem & laxitatem nervorum & muſculorum, qui motus voluntarÿ ſunt inſtrumenta.*

Urinam

Urinam & alvi excrementa *ad juſtum tempus retinere nequeunt, propter muſculorum conſtrictoriorum, qui σφιγκτῆρες appellantur, laxitatem & mollitiem. Forſan etiam propter retentricis imbecillitatem. Hanc enim ſiccitas firmat: humiditas & laxitas diſſolvit.*

XXIII.

Quamobrem pueri præ cæteris ætatibus cruditatibus ſcateant?

P*Veros cruditates coacervare multas, ex urinis eorum liquet: in quibus hypoſtaſis copioſa, eaq; ſatis craſſa apparet. Cauſam reddit* Galenus l. de urin. cap. 40. l. 1. de criſib. c. 12. *nec non* comm. 3. aphor. 26. comm. 3. in prognoſt. Hipp. §. 28. & 74. *eamque duplicem: voracitatem & importunos inordinatosque motus. Voraces autem ſunt, & quia nutriuntur, & quia augentur, & quia multum habent calidi nativi: quemadmodum ex* aphor. 13. & 14. *patet. Quibus cauſis addere licet quartam: quoniam habitu corporis præditi ſunt molli, raro, laxo atq; aperto: quo nomine per corpus eorum plus exhalat, quàm per corpus virorum, aut ſenum.*

XXIV.

Quæ cauſa, quòd infantes & pueri vehementer quandoque emacientur?

M*Acies quidem etiam provectioris ætatis hominibus contingere poteſt, ſed tamen frequenter in infantibus & pueris conſpicua eſt, ita ut viva veluti cadavera eſſe videantur, & præter cutem & oſſa nil habere, conſumpta pinguedine, abſorpta carne muſculoſa, diminuta granduloſa, extenuata parenchymatica, partibusq; ſpermaticis gracilioribus redditis.*

Præſupponimus autem, infantem, vel puerum fuiſſe initio benè habitum, poſteà emaciatum: & quò cauſa iſtius extenuationis inveſtigari queat, operæ pretium ducimus, ut cauſæ, tùm externæ & evidentes, tùm internæ morboſæ maciei recenſeantur. Morboſæ:

boſæ dicimus, quia eſt & naturalis macies. Sunt enim non pauci graciles & macilenti natura, propter corporis raritatem, caliditatem & ſiccitatem, qui nulla diæta pingueſcere poſſunt.

Externæ igitur macilentiæ cauſæ ſunt, *I.* Aër calidus & ſiccus, *ſub quo & regiones, & anni tempora, & temporum καταστάσιας comprehendimus. II.* Cibi penuria & inedia: *itemq; cibus corruptus & depravatus, aut ὀλιγοτρόφος. III.* Vigiliæ aſſiduæ. *IV.* Labores duri *& crebri, & valida corporis exercitia. V.* Vacuationes immodicæ, *quæ fiunt per nares, per os, per vomitum, per alvum, per ductus urinæ, per venas uterinas & hæmorrhoidales, per ſpiracula cutis. VI.* Mœror *& luctus diuturnus. VII.* Curæ, ſollicitudines, *indeſinentia literarum ſtudia. VIII.* Medicamenta *purgantia, diſcutientia, aliterque vacuantia. IX.* Balnea crebra, *tùm naturalia & ſpontè naſcentia, quæ vim calefaciendi & ſiccandi habent, tùm arte facta.*

Internæ cauſæ *ſimiliter variæ ſunt. I.* Longa alvi profluvia, *qualia eſſe conſueverunt in dyſenteria, ἀτονίᾳ hepatis, ſive fluxu hepatico, lienteria, cœliaca paſſione. II.* Morbi diuturni: *ut phthiſis, febris quartana, & febres hecticæ, continuæ item & colliquativæ, hydrops aſcites, obſtructio, & coarctatio venarum meſenterij: ſcirrhus quoque ejusdem meſenterij. Per illius enim venas chylus ad hepar vehi debet.*

Hùc pertinent *aliarum quoq; venarum obſtructiones, compreſſiones, diſſectiones, per quas alimentum ad partes deduci nequit.* In cauſa quoque ſunt *viſcera nutritoria, quæ ſi conveniens alimentum non conficiant, corpus exinde nutriri probè non poteſt.* Ad inducendam maciem *non parùm etiam partes ipſæ faciunt, quæ alendæ. Hæ enim ſi vel ſint intemperatæ, vel debilitatæ, vel alia quavis ratione labefactatæ, neque alimentum attrahere, neque benè concoquere, neque rectè ſibi aſſimilare queunt. Neceſſe igitur eſt, ut cùm genio ſuo defraudentur, calor verò nativus in illarum ſubſtantiam perpetuò agat, eamq;*

depopu-

depopuletur, tenues & graciles evadant. Ut nihil jam de lumbricis *inteſtinorum & Dracunculis dorſi, aliarumque partium dicamus, quæ animalia homini pabulum ſuum adimunt.*

Quæritur ergò, *quæ in infantulis & puerulis præcipuæ & frequentiores maciei cauſæ ſint? Reſpondemus, lumbricos, alvi profluvia, lac matris, aut nutricis corruptum, ventriculi infirmitatem, qui aſſumptum cibum neque retinet, neque coquit. Vnde crebra vomitio, aut lienteria ſcaturit.*

Cauſas hyperphyſicas, ut ſtriges, ſive veneficas, quas vulgus credit tactu, viſu, halitu, vel incantatione emaciare poſſe infantes, ſilentio tegimus, quia ad Medicos non pertinent.

XXV.

Quid ſint ἄφθαι? quib. ætatibus eveniant? & quæ illarum cauſa?

Aphtharum nomen geminam habet ſignificationem: unam propriam & ſpecialem, alteram impropriam & communem, ſive generalem.

Propriè & ſpecialiter aphthæ ſunt ulcuſcula oris ſuperficiaria. Impropriè & generaliter etiam de aliarum partium ulceribus dicuntur: v. g. pudendorum, teſtium, fiſtulæ pulmonum, quæ eſt arteria aſpera: quemadmodum ex Galeni l. 9. de compoſ. med. κ. τόπ. Pauli lib. 3. c. 54. & Hippocratis l. 2. de morb. *conſtat.*

Nobis impræſentiarum ſermo eſt de prioribus, quæ frequenter admodùm infantes lactentes, aliquando tamen & alios infeſtant, viros pariter & mulieres. Verùm in his non ita ſunt periculoſæ.

Cauſam habent juxta Galeni comm. 3. aphor. 24. *lac nutricis, quod nitroſam & ſalſam in ſe ſeroſitatem habet. Ea cum haud mediocriter abſtergat, & verò interior oris infantulorum ſuperficies delicata ſit, & mollis, quæ neque tactum, neque qualitatem lactis ſuſtinet, fit, ut facilè corrodatur.*

Inci-

Incipiunt à gingivis: deinde totum palatum & linguam occupant: tùm ad uvulam faucesque deſcendunt. Obſident quoque internam labiorum & genarum ſuperficiem: quibus obſeßis, infantes ægrè ſanitati reſtituuntur. Nam & ſugere nequeunt: & vehementer dolent: & indeſinenter plorant: & vigiles inſomnesque noctes traducunt: quæ cauſæ illos vehementer enervant. Diuturnæ ſunt, & ægrè ſolubiles, inquit Galenus l. 6. compoſ.med.c.4. *quando temporis progreſſu putredinoſum quid acquirunt, quod à Medicis* Νόμη, *ulcus depaſcens appellatur.*

Colore variant, ſive infantibus, ſive adultis obtingant: idque pro varietate cauſarum. Sunt enim ſubalbidæ, quæ omnium mitißimæ: quoniam ex pituita natæ. Sunt ſubrubræ, quæ igneæ & dolorificæ: quia ex bile genitæ. Sunt denique nigræ, quæ peßimæ: quòd ex atrabilario humore provenerint.

Galenus, *uti dictum, in infantibus duas illarum cauſas ponit: corruptum & vitioſum nutricis lac, quod bilioſum, ſalſum, aut nitroſum: & lac quidem bonum, ſed in ventriculo lactentis vitiatum.*

Habent ἄφθαι *tàm juniorum, quàm provectiorum, etiam alias cauſas: ſcil. ferventes, acres & mordaces halitus in febribus acutis, qui per fauces, venas, arterias, occultosque meatus ad os elevantur: humores item bilioſos, ſeroſos, aut pituitoſos ſalſos, qui à capite ad os defluunt. Hinc* τὰς ϛομάτων ἑλκώσιας, *oris exulcerationes* Hippocrates aphor. 21. ſect. 3. *inter morbos æſtivos recenſet: idque propter bilem, quæ in nobis æſtate prævalere ſolet: quemadmodum* Galenus *in commento notat.*

XXVI.
Cur pueri præ cæteris ætatibus vermibus inteſtinorum laborent?

Pueros præcipuè vermibus obnoxios eſſe, experientia monſtrat. Nonnunquam enim per alvum ab illis deyciuntur. Aliquando ad ventriculum aſcendunt, & per os excernuntur. Videmus

etiam,

etiam, interdum eos valdè emaciari & ἀτροφίᾳ laborare: eò quòd vermes illis nutrimentum ſubtrahant, chylum depaſcendo. Praxis quoque quotidiana docet, non rarò illos in convulſiones incidere, tetra malignaque aura, vel à vermibus extinctis, vel excrementis illorum putrefactis, vel alia quavis humorum ſaburra, ex qua vermes generantur, ſurſum ad cerebrum elevata. Ipſe denique artis noſtræ anteſignanus, Hippocrates, aphor. 26. ſect. 3. ἕλμινθας στρογγύλας, καὶ ἀσκαρίδας, *lumbricos longos & rotundos & aſcaridas inter morbos pueriles enumerat. Quæritur igitur, quæ cauſa? Reſpondet* Galenus in commento, *vermes iſtos gigni proportionaliter animalibus alijs, quæ non ex ſemine, ſed ex putredine generationem habent. Ineſſe quoq; in pueris ſufficientem calorem, qui generationem promoveat. Adeſſe & materiam, putridum ſcil. aliquem humorem, quem ſuppeditare ſoleat voracitas & ingluvies puerorum grandiuſculorum, qui inter eos, qui jam dentes ediderunt, & ad pubertatem accedunt, ſunt medij, De his enim* Hipp. *verba facit. Hùc accedit & altera cauſa, lactis & lacticiniorum creber uſus, quæ in ventriculo plerunque corrumpuntur, & materiam tùm generationis, tùm nutritionis vermium ſubminiſtrant. Deniq; in cauſa etiam ſunt importuni & intempeſtivi puerorum motus.*

XXVII.

Cur minùs convulſionibus corripiantur in dentitione, quib. alvus ampliùs fluit, quàm quib. illa eſt ſuppreſſa, aut parùm fluit?

HIppocrates τὸ ὅτι *proponit* lib. de dentitione: & aphor. 26. ſect. 3. *ſcribit, puerulos, cùm caninos producunt dentes, & præcipuè eos, qui admodùm ſunt corpulenti, & alvo dura, ſive adſtricta, tùm paſſionibus alijs, tùm convulſionibus prehendi. Itaque quæſtio eſt de τῷ διότι. Et reſpondetur, cauſam eſſe, quia alvo conſtipata, præſertim in corporibus intemperanter viventi-*

 bus,

bus, qualia ſunt dictorum puerorum, non ſolùm alvi fæces retinentur, verùm etiam tetri halitus, & aliæ quædam ſuperfluitates ſupprimuntur, corrumpuntur, & viſcera principalia, cumprimis verò cerebrum, & nervos gravant, graviterq; afficiunt. Monet enim Galenus comm. 2. in l. 1. epid. §. 24. *pueros propter nervoſi generis infirmitatem convulſionibus eſſe opportuniſſimos. Vnde accidit, ut etiam levibus de cauſis convellantur.*

XXVIII.
Qua de cauſa infantes crebrò admodùm ſingultiant?

S*Ingultire infantes ſæpiùs, notum eſt omnibus. Quam ob cauſam, non item.* Hippocrates aphor. 39. ſect. 6. *duas cauſas generales ſingultus tradit,* κένωσιν καὶ πλήρωσιν, *vacuationem & repletionem.* Galenus *addit tertiam,* l. 8. de compoſ. med. κ. τόπ. c. 3. *acres mordacesq; humores, pharmaca, & cibos, expultricem ventriculi virtutem irritantes, & ad excretionem ſtimulantes: qui ſi per vomitum fuerint rejecti, ſingultus ſtatim ceſſat. Probat placitum ſuum duob. exemplis.*

I. eſt, quia multi devorata compoſitione diatrionpipereωn, ſi ſtatim vinum deſuper bibant, ſingultire incipiunt: ex eorumque numero ſe quoque unum eſſe teſtatur.

II. quia ſi cibi in acrem mordacemque aliquam qualitatem corrumpantur, aliqui ſingultiunt, & vomitu ſtatim liberantur.

Verùm ſubjungit, pueros ſingultire frequenter duab. de cauſis. I. quia alimentum in ventriculo facilè corrumpitur. II. quia ventriculus ab eodem mordicatur.

Nos haud immeritò addere poſſumus tertiam, nimiam lactis exuctionem, & pulticularum enormem, neque corpuſculo infantulorum proportionalem copiam. Eſt enim ſingultus expultricis actio, qua conatur ſe exonerare ab ijs, quæ non tantùm qualitate ſunt moleſta, verùm etiam quantitate gravia. Id quod in adultis quoq; quotidie obſervamus.

29. Cur

Cur infantes ſæpiùs alvi conſtipatione laborent?

HOc vitium infantibus multis frequens eſſe, praxis quotidiana teſtatur. Eſt autem ejuscemodi vitium, quod mala plurima cauſare ſolet: nimirùm ventris tormina & inflationes, nauſeam, inappetentiam, febres, imò & convulſiones, ſi conſtipatio duraverit diutiùs, & bilioſum excrementum, aliæque ſordes, quæ per aluum evacuari conſueverunt, longiùs fuerint detentæ. Obſervatum quoque, hernias inde fuiſſe obortas, peritonæi proceſſibus vel laxatis, vel diſruptis, idque ob enixum & conatum in egerendis alvi fæcibus vehementiorem.

Vexat malum iſtud etiam adultos, ſanos pariter atq; ægros: habetque varias tùm externas, tùm internas cauſas: & aluus in illis vel ſupprimitur prorsùs: vel ſolvitur rariùs: vel difficulter, nec niſi magno cum labore evacuatur: vel quæ excernuntur, quantitati aſſumptorum ciborum minimè reſpondent. Verùm nobis nunc duntaxat negotium eſt de conſtipatione alvi, quæ pueris & infantulis accidit.

Arbitramur igitur, *in infantibus noſtris duas præcipuè eſſe cauſas.* Unam, *eamque ſatis frequentem, diuturniorem pulticularum coctionem. Hac quippe omne lactis ſerum conſumitur, quod tamen vim laxandi habet. Remanet autem quod caſeoſum eſt, & craſſius, quod aluum indurat: præſertim in lacte vaccino, quod omnium eſt craſſiſſimum & caſeo refertiſſimum. Tenuiſſimum enim eſt Cameli: mox Equæ: tùm Aſinæ: craſſiſſimum verò bubulum, inquit* Ariſtoteles l. 3. hiſt. an. c. 20. *Cui ſubſcribit* Galenus l. 3. alim. fac. c. 15.

Alteram *lactis materni vel craſſitiem, vel caliditatem. Craſſum namq; lac multum caſeoſæ in ſe habet ſubſtantiæ, quæ ventrem ſiſtit. Calidum verò lactentem alterat, ejusque hepar incendit: quod calidius redditum inteſtinorum excrementa, humi-*

ditates exugendo, ſicciora, & ad motum pigriora ignavioraque facit.

In puerulis grandiuſculis *vitium iſtud eſt rarius. Cauſas tamen habet, vel ſtimuli penuriam, vel inteſtinorum obſtructionem.*

Stimulus ille *bilis eſt, quæ ad inteſtina ferri prohibetur, cùm hepar, aut pori cholidochi ſunt obſtructi. Obſtruuntur autem ob voracitatem & intempeſtivos puerorum motus, intempeſtivam etiam cibationem. Priori enim cibo nondum concocto, novus ingeritur. Hinc exurgit cruditas: hinc obſtructio: hinc bilis inteſtina ad excretionem ſollicitantis ſuppreſſio. Obſtrui quoque ſolent inteſtina à copia vermium, quibus puerilis ætas eſt obnoxia: itemque à craſſis, crudis, pituitoſisque humoribus, qui à nimia illorum edacitate oborti.*

XXX.

Quinam ex lactentibus dicantur coloſtrati?

QVi *quid Coloſtrum, ut* Martialis l. 13. epigr. *loquitur, vel, ut* Plinius l. 28. c. 9. *habet, Coloſtra ſit, novit, is etiam qui ex lactentibus coloſtrati dicantur, minimè ignorat.*

Eſt autem Coloſtrum Virgilio *lac novum, quod ſcil. poſt partum mulgetur, græcè πυαλὶς, german.* die Bienſt / die erſte Milch nach der Geburt. Palladius *id exiguum eſſe lactis dicit, in quo natura ſit ſpiſſior: vel, ut* Plinius loc. cit. *deſcribit, ſpongioſa lactis denſitas à partu prima.*

Coloſtrati ergò, πυαλιςοὶ, infantes dicuntur, qui lac ejusmodi ſuxerunt ex Matris uberibus, & Coloſtratio, πυαλισμὸς, illud eſt vitium, quod infantibus ex nimia coloſtri potatione contigit. Coloſtro è mammis vacuato, lac ſuccedit bonum & ſalutare: quod ſi ſit dulciſſimum, albiſſimum, æquale, & inter tenue ſpiſſumque medium, ita tamen, ut in unguem inſtillatum non defluat, & à benè ſana puerpera prodeat, optimum judicatur. Coloſtrum verò cenſetur malum propterea, quòd ſit craſſum, tardè

conco-

concoquatur, ægrè deſcendat, & craſſum humorem pariat: judice Avicenna lib. 2. can. tract. *2.* c. 442.

Hinc Ariſtoteles l. 3. hiſt. an. cap. 20 *ſcribit, nulli ferè animalium lac fieri, antequam uterum ferat: nec dum ferunt, utile omne eſſe: ſed primum noviſſimumque eſſe inutile.*

XXXI.

Quid cauſæ ſit, quòd infantes & pueri pediculis nonnunquam ſcateant?

P*Ediculatio, ſeu Pedicularis morbus,* φθειρίασις *græcè,* ἀπὸ τῶν φθειρῶν, *non hominibus ſolùm, ſed etiam brutis quibuſdam, ut Columbis, Phaſianis, Canibus & gallinaceo generi accidit: authore* Ariſtotele l. 5. hiſt. an. c. 31. *Et hominibus quidem non ſolùm junioribus, ſed etiam in quavis ætate conſtitutis, illis præcipuè, qui ſordidè vivunt, & induſia veſtesque reliquas nunquam, vel raro admodùm mutant, multoq; minùs capillos & barbam pectunt, aut ſe lavant. Eſtque hic affectus ratione loci, quem occupat, duplex: univerſalis, qui totum corpus infeſtat, & propriè* φθειριάσεως *nomen ſibi vendicat: & particularis, qui certas duntaxat illius partes, & maximè piloſas, utpote caput, cilia, ſupercilia, mentum, axillas, & pudenda vexat, quòd ſordes inibi adhæreant, minusque abſtergi poſſint, quàm à cute glabra. Hiſtoriæ teſtantur, non paucos* φθειριάσει *fuiſſe peremtos. Exempla proferuntur* Herodis *Actor.* 12. Pherecydis Syri, Alcmanis *Poëtæ, quorum* Ariſtoteles l. 5. hiſt. an. c. 31. *meminit,* Juliani. *Iuliani apoſtatæ avunculi, qui & lethali volvulo, qui dicitur miſereri mei, &* φθειριάσει *vitam finÿt,* Caſſandri *Antipatri F. Regis ſceleſtiſſimi,* Antiochi *Epiphanis Aſiæ Regis,* Lamberti, *Epiſcopi Conſtantienſis, aliorum plurimorum.*

Verùm *de univerſali pediculatione hîc non agimus, ſed de particulari ſolùm: quam diximus frequenter in infantes & pueros cadere, ſi negligantur. Abundant autem pediculis potiſſimùm in tinea, achoribus & favis capitis, nec non & in cruſtoſis*

capitis ulceribus. Adeſt enim materia, humiditas putrida: adeſt & cauſa adjuvans, calor; adeſt denique & locus pro generatione horum animalculorum commodus.

Proveniunt autem pediculi quoque ſine affectibus iſtis, & quidem partim ex ſudore, quem infantes emittunt copioſum, ſomni præcipuè tempore: pueri vero ob crebras corporis exercitationes: partim ex ichoribus multis, iiſque calidis & humidis, non acribus tamen: quemadmodum Galenus l. 1. de compoſ. med. *κ. τόπ.* c. 7. Oribaſius l. 4. de cur. loc. aff. c. 11. *&* Aëtius tetr. 2. ſerm. 2. cap. 63. *loquuntur. Hùc referre licet & victum vagientium, qui lac & ex lacte paratus: cruditates inſuper & ſuperfluitates in pueris, ob illorum voracitatem natas. Addere fas eſt & ſordes, quæ cuti foris adhærent, & ſubter illam etiam deliteſcunt. Eſt namque* Galeni *opinio loco allegato, pediculos non in ſuperficie cutis, ut furfures in porrigine, ſive πιτυριάσει, ſed in profundo ejus generari. Nos tamen etiam ex ſordibus & ſudoribus, ſuperficiei illius adhærentibus, pediculos gigni citra abſurditatem aſſeveramus.*

XXXII.

Quam ob cauſam infantes & pueri frequenter admodùm ſcabie divexentnr?

S*Cabiem* Scaliger exercit. 317. ſ. 5. *à σκάπτω derivat, quod eſt fodio: nos à ſcabendo dictam arbitramur. Scabioſi enim ſcabere neceſſe habent, propter pruritum, quem ſalſi, acres mordacesque vapores & humores excitare ſolent. Scabendo namque, ſive ſcalpendo, cutis rareſit, ejusque pori aperiuntur: & materia cuti ſubdita, quæ pruritum, ejusque nomine ſcalpendi deſiderium movet, attenuatur, ut exhalet.*

Vitium iſtud etiam adultis accidit, ob pravam victus rationem, aut viſcerum, quæ nutritioni inſerviunt, malam conſtitutionem. Frequentiùs autem obtingit infantibus & pueris. Infantibus *in & extra uterum. In utero, ob ſanguinem, quo alti, vitioſum.*

tioſum. Extra uterum ob lac corruptum. Vitiatur verò ſanguis & lac Nutricum, tùm ab interna cauſa, intemperie ſcil. & impuritate dictorum viſcerum, quorum cauſa ſanguis generatur biliosus, atrabilarius, pituitoſus ſalſus &c. tùm à mala diæta, quæ lac vitioſum producit. Tale namque lac infantes reddit κακοχύμȣς: quemadmodum Galenus l. 3. alim. fac. c. 15 *id exemplo quarundam Nutricum declarat, quæ inſignem κακοχυμίαν caritatis annonæ tempore ex eſu ſylveſtrium olerum contraxerant, lac inde genuerant pravum, & ulceribus, quibus ipſæ ſcatebant, lactentes quoque ſuos infecerant.* Pueris verò, *tùm ob voracitatem, quæ plurimorum malorum, & cumprimis etiam κακοχυμίας mater eſt fœcundiſſima, tùm ob intempeſtivos motus, etiam à paſtu ſtatim currendo, ſaltando, aliisque modis inſtitutos. Hinc illud* Hippocratis l. 6. epid. ſ. 5. *ſi impurgatus, h. e. κακόχυμ⊙, laboraverit, id eſt, intempeſtivè, & præſertim ſtatim à cibo, ſeſe exercuerit, ulcera oboriuntur, ſub quibus etiam ſcabiem ulceroſam, ſive puſtuloſam, complectitur. Debent enim exercitia corporis ſecundum ejusdem decretum* l. 6. epidem. ſ. 4. *cibum præcedere.*

Eſt & alia ſcabiei *in pueris atque infantibus cauſa, nimirùm corporis immunditties: quando ſordes non abſterguntur: balnea negliguntur, & induſia atque veſtimenta reliqua minimè mutantur. Sordes namque neque abſterſæ, neque balneis ablutæ, diutiùs corpori adhæreſcentes tandem ob putrilaginem acrimoniam acquirunt, cutemque erodunt, & mutata illius temperie, corruptoque, quod appulit, alimento, eam puſtulis & ulcuſculis deformant. Adde quòd ſordes iſtæ poros occludant, & διαπνοὴν halituoſorum excrementorum impediant: quæ detenta acria evadunt, tandemque pruritum inducunt, quem utplurimùm ſcabies ſequitur.*

Eſt denique & iſta *ſcabiei in infantibus cauſa, quando Matres & Nutrices ipſæ ſcabie conflictantur. Malum enim contagioſum eſt, & mediante vel vapore, vel humore infantibus communicatur.*

33. Un-

XXXIII.
Unde hernia inteſtinalis infantibus & pueris ſæpè eveniat?

HErnia iſta, ἐντεροκήλη à Græcis vocata, in omnibus fieri poteſt ætatibus, vel ob laxatos, vel ob diſruptos peritonæi proceſſus: ex quo fit, ut inteſtinum, præcipuè ileon, quod proceſsibus iſtis eſt vicinum, in ſcrotum delabatur, inibique tumorem excitet, nunc majorem, nunc minorem, pro quantitate inteſtini delapſi: aut pro ut illud vacuum, vel flatibus & fæcibus eſt refertum.

Habet autem hernia iſta peculiares in infantibus cauſas: nimirùm tuſsim crebram & vehementem: clamores & ejulatus exorbitantes, ob ventris tormina, & magnum egerendi conatum, in alvi conſtipatione. His quippe de cauſis tenella peritonæi membrana facilè dilatatur, & dilatata diſrumpitur.

In pueris grandiuſculis, qui incauti ſunt & improvidi, præ cæteris etiam alacriores, inſolentioresq; herniæ inteſtinales oriuntur à vehementi vociferatione, ſpiritus violenta cohibitione, ſaltu, lucta, crurum divaricatione, caſu, ictu, cauſis aliis.

XXXIV.
Quæ cauſa, quòd infantes & pueri herniæ aquoſæ & flatulentæ ſint obnoxij?

HErnia aquoſa, ὑδροκήλη Græcis dicta, varias in ſcroto ſedes habet, quoniam variæ inibi viſuntur membranæ, teſtes involventes: & quidem numero quatuor: quarum duæ ſunt communes, quæ utrumque teſtem ſimul tegunt: duæ propriæ, quæ quemlibet illorum diſtinctè inveſtiunt. Prima *eſt ſcrotum, ὄσχεον græcè, & marſupium, coriacei ſacculi ſimilitudinem referens, rugoſa admodùm, & ex cuticula ac cute conflata, foris conſpicua.* Secunda *δαρτός, quæ facilè tùm à ſcroto, tùm à ſibi contigua ſeparari poteſt, ortum ducens à panniculo carnoſo.* Tertia *eſt propria externa, ἐρυθροειδής, quòd fibris carnoſis conſperſa ſubrubeat:*

aliâs

aliàs ἐλυϑροειδὴς, *quòd teſtis in ea, quaſi* ἐν ἐλύτρῳ, *in vagina contineatur. Vnde & vaginalis cognominata. Enaſci dicitur à peritonæi proceſsibus.* Quarta & ultima, *quæ craſſa, dura, & ſolida, teſtem immediatè cingens, albuginea, & à* Rufo Epheſio ὑμὴν νευρώδης, *tunica nervoſa nuncupata. Originem trahere ajunt à vaſis ſpermaticis.*

His poſitis, ſciendum, aquam, quæ Ramicis iſtius cauſa eſt, conſiſtere vel inter ſcrotum & δαρτὸν: vel inter δαρτὸν & ἐρυθροειδῆ: vel inter hanc & albugineam: vel inter albugineam & teſticuli mollem, laxam & ſpongioſam ſubſtantiam.

Cauſæ verò iſtius aquæ *in infantibus eſt, vel aquoſus ſeroſusque ſanguis, quo in utero materno fuerunt nutriti: vel lac Matrum & Nutricum ſeroſum: idque vitio ſanguinis, qui talis, aut ob copioſum aquæ potum: aut ob eſum fructuum horæorum, & olerum: aut ob affectum aliquem hepatis & lienis. Vel lac aquoſius, ex quo ipſorum pulticulæ conficiuntur.*

In pueris *autem cauſa refertur ad immodicum aquæ potum, olerum, acetariorum, & æſtivorum fructuum uſum crebrum.* Aëtius *addit & teſticulorum percuſsionem, & colliſionem, & vaſorum rupturam: quo fit, ut ſerum effluat.*

Hernia flatuoſa, φυσοκήλη, *ſine aqua nunquam obſervatur. Ideoq́ eaſdem cauſas habere poteſt.*

XXXV.

Cur infantibus finis inteſtini recti facilè procidat?

A*Ffectus iſte* πρόπτωσις τῆ ἀρχῆ *nominatur, ani procidentia. Accidit autem infantibus facilè ob validum egerendi conatum, in alvi adſtrictione, & teneſmo. Item, ob nimiam ſphyncteris mollitiem & laxitatem: cujus cauſa eſt alvi fluxus aliquandiu perſeverans. Eſt autem fluxus ille vel lientericus, vel cœliacus, vel dyſentericus, quib. infantuli non rarò ſunt obnoxij: facitq́; ut etiam muſculi inteſtini recti retrahentes relaxentur.*

XXXVI.

Unde tormina infantum oriantur?

N*Vllus ferè affectus infantilem exercere ætatulam frequentiùs ſolet torminibus ventris. Dolent autem vel inteſtina omnia, & vitium dolor ventris dicitur in genere: vel ſolùm jejunum, vel ileon, unde iliaca paßio ſuam habet appellationem: vel colon inteſtinum, quod colicæ nomen tribuit.*

Affectus eſt atrox, acerbus, talis, qui viſcera adſtantium, parentum maximè, non raro penetrat, graviterque vulnerat. In eo miſelli infantuli plorant, clamant, miſerè ſe torquent, reſpuuut ubera Matrum, cibum omnem averſantur, vigiles & inſomnes dies atque noctes traducunt, quandoque etiam convulſionibus corripiuntur, quæ à vulgo die Darmgegicht *nuncupantur.*

Cauſæ *ſunt internæ & externæ.*

Internæ *ſunt flatus, humores, & vermes. Flatus o[illegible] à flatulentis Nutricum eduliis: lacte earum aquoſo: nec non à retentione fæcum in infantibus, quæ impedit, quò minùs flatus expirare queant. Humores ſunt pituitoſi ſalſi, & aquoſi, bilis item vitellina, porracea & æruginoſa.*

Externæ *ſunt frigiditas aëris, adverſus quam infantuli non benè muniuntur: balnea frigida, ira & ſubitaneus Matrum ac Nutricum terror, comeſtio fructuum fugacium & acetariorum, vina nova, quæ nondum defæcata, vina cruda, & acidula, itemque potentia & generoſa, quæ bilis ſunt feracia.*

XXXVII.

Quid ſit puerorum cruſta lactea?

MAnardus l. 7. epiſt. 2. & l. 17. ep. 2. *nec non* Omnibonus Ferrarius l. [illegible]. de art. med. infant. c. 2. *docent, antiquos de hoc morbo nihil ſub iſto nomine ſcripſiße. Ex neotericis autem* Guilielmum de Saliceto *in ſpecie de illo tractâſſe, & quidem*

dem ſub nomine Cruſtæ, & Lacticij. Suſpicatur verò Manardus, *referri poſſe cruſtam lacteam ad veterum* ἀχῶρας, κήρια, ψυδράκια καὶ ἐξανθήματα*: quoniam in diverſis ſubjectis ſub varia ſpecie conſpicitur.*

Vocatur Lacticium, Lactumen, *&* Cruſta lactea, *nimirùm à forma & colore. Cruſtam enim albidam repræſentat: occupatque cumprimis caput & faciem infantum & puerorum: quamvis etiam in alijs corporis partibus obſervetur. Videtur nil eſſe aliud, quàm ulcus cruſtoſum, quod ſeſe offert ſtatim, vel paulò poſt initium lactationis. Et vocatur Lactumen, non ſolùm ab albicante colore (licet etiam ſub colore alio, ob materiei diverſitatem, cernatur:) ſed etiam à cauſa ejus, quæ eſt lactis impuritas. Eſt autem lac, quod hoc mali genus gignit, acre, ſalſum, & quodammodò corroſivum. Propterea cutim corrodit, & ulcus in ea parit, è quo ſanies effluit, cujus pars craſſior ſi exiccetur & induretur, cruſtam gignit, quæ larvæ in modum faciem in non paucis obducit, non ſecus ac Variolæ, quæ jam ſiccatæ & induratæ. Neq; verò lac ſolùm Nutricum vitij iſtius cauſa eſt, ſed etiam impuritas ſanguinis materni in utero. Impurus autem redditur ſanguis, uti aliquoties jam dictum, vel vitio ventriculi, hepatis & lienis, vel prava vivendi ratione.*

Eſt autem affectus iſte cautè tractandus, & à refrigerantibus, adſtringentibus ac repellentibus omninò abſtinendum, ne materia vitioſa repercutiatur, & Natura, quæ noxia foràs trudit, ſua in actione impediatur. Quibus pueris, inquit Hippocrates *l. de morbo ſacro, ulcera erumpunt in capite, auribus, & corpore reliquo, adhæc qui ſalivoſi ſunt & mucoſi, progreſſu ætatis benè degunt. A ſordibus enim, quas in utero contraxerunt, repurgantur, ac propterea epilepſia ferè non corripiuntur. Qui vero mundi ſunt, & neque ulcus habent ullam, neque ullam vel ſalivam, vel mucum emittunt, ij de lue epileptica periclitantur.*

PRAE-

PRAESES
Nobili & præſtantiſſimo Domino
Reſpondenti
S. P.

SEria ſunt tractanda Viris, qui caſtra ſequuntur
Ardua Muſarum: pueri puerilia tractent.
Tu, GODOFREDE, quidem tractas puerilia VERBIS,
RE verò nobis proponis ſeria. Parvos
Non ergò pueros imitaris, ſed mage doctos
Sectaris Medicos ſanè conamine pulchro.
Eſt etenim felix, & terque quaterque beatus,
Qui morbos callet puerorum, & ritè mederi
Illis addidicit: quoniam ſunt agmina eorum
Plurima: ſunt noſtræ quoque valdè rebellia Curæ.

TEmperies primùm Tibi ſat ſermone notata,
γνῶσιν & ad medicam prima parata via eſt.
De medicaminibus mox altera Charta ſecuta,
Non modicâ ad πρᾶξιν laude patere cupit.
Sed, quia diſiunctum ponebas, jungis utrumque,
His quæ de Pueris pagina longa refert.

Ioh. Albertus Sebizius, D.

ARx eſt, quam ſummo fundavit monte Minerva,
Cuî via quâ vehimur, non niſi dura patet.
Hic ſcopulos, ſpinas, immanes conſpicis hoſtes,
Hîc onus, hîc labor, hîc qui tulit, omne tulit.
Deſperant multi, Tu confidentibus auſis
Cæpiſti & cæptum claudere pergis iter.
Pergito, cæpta probat præſtantior ordo Galeni,
Succeſſumque Tibi ſpondet, amice, bonum.

Daniel Beckherus.

FINIS.